



CATECHISIUS

CONCILII TRIDENTINI

BX1958

.A2

1873

C3

1873

c.1

85548

00957



EX LIB  
HEMETHERII VALV  
Episcopi Leo



1080023927

A mis queridos hermanos  
Alberto Lagigas

Rafael Z.

Barcelona 9 de 1886.

## CATECHISMUS

### CONCILII TRIDENTINI

BIBLIOTHECA SACERDOTUM PARVULA

|  |      |
|--|------|
| AUGUSTINI (S.) <i>Confessiones.</i> In-32.....   | 1 f. |
| — <i>Meditationes et Soliloquia.</i>   |      |
| In-32.....   | 1    |
| BERNARDI (S.) <i>de Consideratione liber.</i> In-32.   | 1    |
| <i>De Imitatione Christi libri quatuor.</i> In-32 ..   | 1    |
| <i>Catechismus Concilii Tridentini, etc.</i> In-32 .   | 1 40 |
| <i>Concilii Tridentini Canones et Decreta.</i> In-32.  | 1 40 |
| CHRYSOSTOMI (S.) <i>de Sacerdotio liber.</i> In-32.  | 1 60 |
| GREGORII (S.) <i>de Cura pastorali.</i> In-32....  | 1    |
| <i>Manuel de piété, à l'usage des Séminaires.</i>  |      |
| In-32.....   | 1    |
| <i>Manuel des vacances, à l'usage des Séminaires.</i>  |      |
| 1 vol. in-32.....  | 1 60 |
| <i>Officium parvum B. M. Virginis,</i> In-32.....  | 1 30 |
| <i>Memoriale Vite sacerdotalis a Cl. Arvisenet.</i>  |      |
| 1 vol. in-32.....  | 1 90 |
| <i>Novum Testamentum, cui adjungitur libellus</i><br><i>de IMITATIONE CHRISTI.</i> 1 vol. in-32..... | 3    |
| Le <i>Novum Testamentum seul.</i> .....  | 2    |
| L' <i>Imitatio seule.</i> .....  | 1    |
| <i>Manuale Christianorum.</i> 1 vol. in-32.....  | 4    |
| <i>Liber Psalmorum cum indice.</i> 1 vol. in-32, .   | 1    |

Paris. — Typ. Pillot & alé, 5, rue des Grands-Augustins.

CATECHISMUS  
CONCILII TRIDENTINI

PII V, PONTIFICIS MAXIMI

JUSSU PROMULGATUS  
SINCERUS ET INTEGRUS MENDISQUE EXFURGATUS  
OPERA P. D. L. H. F.

a quo est auditus Apparatus ad Catechismum,  
in quo ratio, auctoritas  
approbatrice et usus declarantur.

EDITIO NOVISSIMA

*Emetrix Valverde*  
PRESBITERO  
FONDO E JESUITAS  
VALVERDE Y TELLES

85548

PARISIIS

APUD A. JOUBY ET ROGER, BIBLIOPOLAS

VIA MAJORUM AUGUSTINIANORUM, 7

1873

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

Biblioteca Valverde y Telles

BX1958

A2

1873

C3

1873



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

82248

PARISIIS

ALD A. JOUBY ET LOUIS SIZIOLISIUS

ATY MAGISTERIUM LIBRARIAE UNIVERSITATIS PARISIENSIS

UNIVERSIDAD DE MEXICO 1908

LIBRERIA DE LA UNIVERSIDAD

OMNIBUS

## ECCLESIA CATHOLICE PASTORIBUS.

*Magnificare gregem pro quo Christus mortuus est.*

Catechismus vestrum, Pastores vigilissimi, quem omnibus yobis motu proprio sacroque iure communem fecerat sancta memoria Pius V, summus Pontifex, vestrum unduntaxat, aut ad summum vestrum aliquibus factum esse privatum, equidem ægri sustinens ab illaudabilis, in quo erat, etiam ementito nomine possessionem, studi vindicare: tandemque factum sit, yobis illud ut suis restituo reddoque quo potiamini (a). Debet enim concessum a principe beneficium esse mansurum, nec licet quod publicum est, a privatis ut suum, quid usurpari, quia est sacram. At vero ne divinum illud opus, dum pro mambus mihi fuit, arbitremini quidquam accepisse intertrimenti, quin potius ut longe alter evenissa comperieratis: Amabo vos, primo statim intutu textum ipsam diligenter adnotate, mendis quingentis et amplius supra mille, vel sane haud multo secus extersum esse a me, planum erit: quod ut prestarem, non arbitrio sum usus meo, quod nefas erat, sed primis editionibus Parisiensi, Lugdunensi, et Antuerpiana, que singulæ juxta Manutianum exemplar editum Romæ et Jussu summi Pontificis correctum, formis excusae fuerant et emendatae: ex quibus, salem Par-

(a) De reg. juris. Reg. 16.

000571

siensi, ab illustrissimo D. Michaele Espiscope et Comite Cenitensi Apostolicae Sedis apud Christianissimum regem tunc temporis Nuntio agnita est Romano conformis exemplari authenticō. Deinde textum idem sexcentis fartum titulis, partim falsis, partim inutilibus, atque fere omnibus tumultuarie injectis, prius quidem in Plantiniana, interrogando, fusa in Parisiensi, affirmando, præter summi Pontificis propositū, ex consilio doctorum expugnati; nec tamē librum sine ulla imperfectione reliqui: sic licet primum sit editus in Vaticano, Parisiis et Lugduni: verum ut commodius legi possit, secundum illum, et per interpuncta quedam distinxī, quibus singulis ad marginem tantum, non vero in ipso contextu, ne fieret insincerus, neque nūnquam opus excresceret, numeros addidi Romanos, tum paucis omnino verbis, et quantum potui notis et simplicibus, *ibid.*, quid in qualibet interpunctione continetur indicavi: unde fit ut defacatus prorsum, nativus, genuinusque Catechismi contextus, non vero discrepans et totus a se quasi diversus, habeatur, nec inutilibus reluti summulis augeatur. Postremo qui tum in ipsa orationis structura, tum in marginibus, Patres sive auctores citabunfur, quia non id patiebatur paginarum angustia, ut inibi relinquenter, ad extremum cujusque interpuncti dissimili charactere remissi sunt, quotquot citatos fideleri compcri: et insuper adduxi non paucos, ubi præsertim Ordinis Sacramentum explicatur. Superfit modo, Pastores vigilantissimi, ut quod non a me, nec ab alio quopiam ullo quam a summo Pontifice, in illoque ab ipso Christo Salvatore, ex divina munificentia vobis omnibus offertur ultra, tum pro dignitate muneris, cum pro singulari merito tribuentis, illud estimantes, grato exceptum animo, revere amini, et secundum sacro-

sanctæ Synodi Tridentinæ propositum, ex vestro  
sit usu sèpius, ne parruli petant panem et non  
sit qui frangat eis: utque sacra eloquia et mo-  
nita salutis, quibus inter Missarum solemnia, aut  
divinorum celebrationem, greges domini pascan-  
tur, ad manum sint, et quasi mansa, quæ veluti  
nutrices infantibus in os inserantur, hic liber  
vobis esto promptuarium: quod quidem quanto  
fuerit instructum apparatu, quibusnam, et quanti  
nominis Doctoribus hoc opus demandaverit Eccle-  
sia, a quo et quam sollicite sit probolatum, et  
tandem absolutum, a quibus comprobatur, fuerit,  
antequam vobis exhibitum, ejus utilitates et  
usus, qui sequitur apparatus declarabit: prela-  
gite et valete.

## APPARATUS AD CATECHISMUM

## ARTICULUS PRIMUS.

*Cur et quando Tridentina Synodus edendum decreverit Catechismum.*

Cum omnia essent odii et dissensionibus plena dissidentibus præsertim principibus iis inter se, quibus summa rerum pene omnis a Deo permisa est, cum schismatibus et hæresibus jaceret Christiani nominis divulsa jam prope et lacerata unitas, sanctæ memoria (a) Paulus III, tantis obstinatus malis anno Incarnationis Domini 1537, œcumenicū Mantua indixit Concilium : sed præter expectationem, et suggeste tenebrarum rectore, Mantuana Civitas Ecclesiæ ad hoc concessa non est, nisi sub quibusdam conditionibus a nominis Ecclesiastici dignitate libertateque prorsus alienis, quibus merito jure non positis, alium deligere locum necesse fuit : nec aptior videbatur aut commodior quam Vicentia, urbs quidem copiosa satis, et Venetorum, qui eam concedebant, auctoritate et potentia, tuta omnino, nullique non facilis: quapropter inibi generale Concilium inductum est, inchoandum kal. maii anno Domini 1538. Interim Paza, Carolum imperatorem et Franciscum regem Franciæ conciliare studuit, ideoque ipse, et ambo illi principes, Niçæam se contulere, Legatis antea Vicentiam mis-

(a) Vide diploma in Bullario, p. 667.

sis, ad Concilium apparandum: imperatorem inter et regem pax iniri non potuit, sed ad decennium tantummodo inducere firmata sunt: et adhuc semel et iterum inductum et dilatum est fere toto triennio Concilium, quo elapsò tempore, tot pereuntium impatiens animarum S. Pontifex, mutato loco, delectaque, postulantibus maxime Germanis, Tridentina civitate, ibidem de novo Concilium denuntiat ad kal. novemb. anni ab Incarnatione Domini 1542, verum impeditum adversæ jussa procelæ, nec sinit audiri vocem fragor æquoris ullam. Ad principes diploma non missum est, quin infeliciter imperatorem inter et Franciscum regem bellum recente exardeat, unde sexcentis hinc et inde ortis interturbationibus, Concilium inchoari non potuit ante diem decimum tertium mensis decemb. anno Domini 1545. Intervim vero Lutherana heresis, cum animarum ingenti clade, mirum quantum subrepit, impietas bellarum factus Europam fere universam occupat, et Christianæ vix umbra superest religionis: ad hoc tollendum reformatumque, Tridentum Patres undique convolant: at, Deus immortalis! immensus consurgit opus, et in Lerna Palude, hydra non una secunda est: manus multas poscit hoc opus, quibus ut arma subministrent Patres, parochos, qui tunc temporis erant plerique omnes tum scientiae, tum religionis expertes, edocendos suscipiunt, ut deinde vulgus imperitum facilius possit erudiri. De ratione et modo divinum hoc sequendum concilium, postquam diu diligenterque deliberatum est, competere Patres, ab hæreticis ingentia non tantum conficta esse volumina, quibus (a) catholicam fidem evertere conabantur,

(a) Vide Ind. librorum prohibit.

verum et infinitos ab iisdem conscriptos esse libellos, qui cum pietatis titulos et religionis speciem prae se ferrent, incredibile est quam difficile frumentum Christi a zizanis inimici hominis secerni potuisset: tot catechismi quot provinciae sunt in Europa, imo fere quot urbes, circumferabantur, qui omnes scatent haeresibus quibusque simplicium animi ubique decipiebantur, vixque ullus erat in fide bene tersus (a). *Quam obrem Patres acumenicæ Tridentinæ synodi cum tanto et tam perniciose huic malo salutarem aliquam medicinam adhibere maxime cuperent, non satis esse putarunt graviora Catholicæ doctrinæ capita contra haereses decernere; sed illud præterea sibi faciendum censuerunt, ut certam aliquam formulam et rationem Christiani populi ab ipsis fidei rudimentis instituendi tradarent, quam in omnibus Ecclesiis illi sequerentur, quibus legitimitate, Pastoris et doctoris munus obeundum esset.* Adnotandum est et librum hunc agnoscite vestrum quandoquidem et vestri causa non modo suscepimus et editus est, sed ejus etiam usus vobis ab ipso Concilio sic præcipitur (b). *Ut fideliis populus ad suscipienda sacramenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, præcipit sancta Sydonus Episcopis omnibus, ut non solum cum hac per se ipsos erunt populo administranda, prius illorum vim et usum pro suscipientium capiti expliquerent, sed etiam idem a singulis parochis pie prudenterque etiam lingua vernacula, si opus sit et commode fieri poterit, servari studeant.* JUXTA FORMAM A SANCTA SYNODO IN CATECHESI SINGULIS SACRAMENTIS PRESCRIBENDAM, quam *Episcopi in vul-*

(a) Catechismus in præfat.

(b) Sess. 24 de reformat. c. 7.

*garem linguam fideliter verti atque a parochis omnibus populo exponi curabunt, etc.* Ex his patet cur, et pro quibus sacrosanta Trid. Sydonus decreverit edendum esse hoc sanctum opus: et excitatis supra non obscure innuitur jam ab initio Concilii Patres, hoc ut maxime necessarium prævidisse, statuisseque, vel saltem, quod certum mihi prorsus est, sacrum hoc opus componentum sanciere, sessione 18, que secunda est sub Pio IV, procurare tunc et diligenter non credibili promovente, quidquid moribus reformatiis erat proficuum, S. Carolo Borromæo; nam cum ibi de librorum delectu decretum sit, et ad hoc selecti sint Patres quidam, ut suspecti quicunque ac perniciosi libri seligerentur et prohiberentur: a Concilio indubitatum est simul et de remedio huic pestiferâ doctrinæ afferendo, hoc est de Catechismo edendo, fuisse sanctum, aliosque quos inferius nominabimus Patres delectos esse qui tanto operi incumbenter; hoc plane constat ex continuatione sessionis vigintiæ quintæ ubi de indice librorum et de ipso Catechismo absolvendo decernitur; ibi enim sic :

« Sacrosanta Synodus in secunda sessione sub sanctissimo Domino nostro Pio IV celebrata, delectis quibusdam Patribus commisit, ut de variis censuris ac libris vel suspectis, vel perniciosis quid facto opus esset considerarent, atque ad ipsam sanctam Synodum referrent, audiens nunc huic operi ab eis extremam manum impositam, nec tamen ob librorum varietatem et multitudinem distincte et commode possit a sancta Synodo dijudicari, præcipit ut quidquid ab illis præstutum est sanctissimo Romano Pontifici exhibeat, ut ejus judiciorum atque auctoritate terminetur et evulgetur, idemque de Catechismo a Patribus quibus illud

« mandatum fuerat, et Missali et Breviario fieri mandat. » Ex his manifeste constat; primo cur hanc Catechesis formam Trid. Synodus edendam præcepit; secundo quando id decreverit; tertio tante esse auctoritatis hunc Catechismum, ut cæteris omnibus debeat anteponi; quarto minime unquam a Pastorum manibus recedere debere. ipsi enim est vera Theologiae promptuarium et totius ecclesiasticae discipline penus refertissima.

### ARTICULUS SECUNDUS.

*Quibus Patribus componendi Catechismi cura fuit data, et quandiu circa eum laboratum sit.*

Duobus diversis temporibus dici potest a Patribus collaboratum esse Catechismo: priori quidem, dum adhuc Trid. essent in Concilio, hoc est per biennium fere integrum: nempe a sessione 18, celebrata die 26 feb. 1562 usque ad finem Synodi, quæ absoluta est mense decemb. an. 1563, posteriori vero, id est sacrosancto cœtu dimisso, Romæ, quo quidam delecti Patres hac de causa fuerunt convocati, et huic operi inculbuere toto trienno et amplius, nempe a discessione Concilii ad an. 1566, quo sanctæ memorie Pio V totum opus absolutum oblatum est approbandum: unde fit ut per integrum quinquennium, tum in compiendo, tum in expoliendo hoc Catechismo collaboraverint selecti Patres a Concilio, inter cæteros piissimi atque doctissimi. Quod quidem animo revolvens, omnino non bene sanum judicarem eum, qui librum hujusmodi non omni existimatione dignum, nec omni sæculo venerandum arbitraretur: et qui inter disputa-

### AD CATECHISMUM, ART. II. XIII

tandum de Theologia, si citaretur hic Catechismus, illum ad classem puerorum contemptim rejicerent, certe sanniones essent et teneribones. Sed ad Patres veniamus. Certum est ex ultima sessione, toto postremo Concilii bieñno, plurimos ex Patrum cœtu delectos celebres Theologos, magnum studium multamque operam contulisse in hunc Catechismum; nam ejus materia est divisa in articulos quosdam, quibus deinde distributis, suum elucubravit quilibet, elaboravitque, juxta mentem Concilii et Ecclesiae sensum. (a) prout *Spiritus sanctus dabit eloqui illis.* Hoc testatur ita factum Christophorus Sanctorius, ordinis Eremitarum D. Augustini, qui asserit Cardinali Seripando ejusdem ordinis, hanc particulam Symboli: *Et in unam sanctam Ecclesiam catholicam, traditam fuisse explicandam.* Quartum vero Symboli articulum designatum esse Michaeli Medinæ ordinis Fratrum Minorum, patet ex ipso patet, qui sibi id attribuit in prefatione ad opusculum de eodem quarto Symboli articulo: ex Possevino autem habemus in apparatus littera P. Petrum Galesinum, Catechismi hujus partem, in qua Pei præcepta exponuntur, latine exposuisse, et ibidem littera J. Julium Spogianum ultimum ejusdem Catechismi caput asserit exposuisse, idem confirmat distincte Castalio, his verbis: *In Catechismo, qui ex Concilii Trid. decreto Pii V jussu editus est, complures Theologi et discreti viri conscribendo elaboraverunt. Antoniano symbolum aut certe Symboli partem explicandam obtigisse Dælius Pasqualinus vir gravissimus mihi confirmavit: quod et ipse in adversariis ejus reperi.* Ergo, attendite, queso, Pastores; non soli Thomistæ

(a) In prefat. ad Theatrum Sanctorum Patrum.

circa hoc opus collaborarunt, sicuti somniati sunt quidam, ut ejus immittuerent auctoritatem, quasi non esset universalis opus Ecclesie, sed sectae cuiusdam theologicæ peculiaris; in quo sane non mediocrem infamie notam incurrunt Concilio et summo Pontifici.

Dimisso vero sacrosancto Concilio, quod supererat operis, commissum esse quibusdam Patribus ex ordine Fratrum Prædicatorum non inficiamus; sed ex eo quod ab Ecclesia munus hoc obsequendum suscere, constare debet eos velutro, proprios et peculiares animi sensu, si quos habebant, exuisse; vel ex decreto Concilii aut summi Pontificis mandato, saltem viva voce, injunctum esse illis non ex suo, sed ex Ecclesiæ sensu tractanda esse omnia, alias non satis prudenter actum esset; quod asserre quantum nefas! Dicit autem Patres hi fuere: I. Leonartus Martinus Genuensis Archiepiscopus Lancianensis; II. Egidius Fuscarius Bononiensis, Episcopus Mutiensis; III. Franciscus Foretius Olisbonensis, regis Lusitanie in Concilio Trid. Theologus; qui omnes quanta pietatis, quante peritia, quantitate nominis existenterint, tum in ipse Synodo, tum extra illam in exercitandis munieribus Ecclesiasticis plurimis, exhibere, mihi sat est unus S. Carolus Borromæus, in Epistola sua ad Cardinalem Warmensem Stanislaum Hosium, ut credam eos inter Patres Concilii fuisse doctissimos: et meam utique confirmat fidem Josephus Ripalmontius, dum haec ait: *Is (intellige sanctum Carolum) animo conceperat eximium Catechismi Romani opus, de quo opere confidio sauerant Patres (Tridentini) idque decretum inter cetera extabat: etiam ei dirigendæ institutioni capituloibusque disponendis summi Theologorum adlaborabant. Sed consilium erat Caroli ut divinitas et al-*

*título rerum atque sententiarum pari verborum dignitate explicaretur, adhibitisque Latinæ linguae summis, ea tempestate, hominibus per eos absolutum opus quo meliore Romanorum seculo natum videri posset. Ex quibus patet et in ipsum S. Carolum non mediocrei ex parte hujus sacri operis laudum esse refundandam; quod etiam sit planum ex Epistola ejusdem Sancti ad Lusitanie regem, a quo petit ut sibi sit licetum, post dimissum Concilium, Franciscum Foretium retinere, quod ad Catechismum absolvendum esset. Ecclesie maxime necessarius: verum etsi his Patribus totius hujus sacri operis gloria deberi videatur, tamen nihilominus sancte memorie Pio V, ut primo motori totum referri acceptum jure meritoque oportet, et si testis opus est, habemus Gabutium in ejusdem summi Pontificis Vita, ubi sic ille (a): *Sacrum Catechismum ad parochos quo præcepta Catholicæ doctrinæ dogmata luculentè explicata continentur, per viros Christiana eloquentia et eruditio insigne latione confitum, et ubique gentium evulgari, mox in Italicum, Gallicum, Germanicum ac Polonicum sermonem converti curavit. His ita se habentibus de Catechismo Romano, quid, queso vos, censendum est? cuius merit? cuius auctoritatis? Edendum illum decrevit ecumenica synodus; selectis Patribus quamlibet ejus materiae particulam tractandam distribuit, ex omnibus tractatibus, juvente summo Pontifice, totum dirigente negotium sancto Carolo, compingitur et expolitur opus, a viris in omnium scientiarum genere versatissimis, quorum spectata virtus, doctrina et pietas erat universæ Ecclesie; et igitur invenire est librum**

(a) Gabut. in Vita Pii V, lib. 1, c. 2,

nullum alium post scripturam canonicam majoris faciendum, quique sepius evoli mereatur.

### ARTICULUS TERTIUS.

*A quibus Catechismus est approbatus.*

Antequam Catechismus prodiret in lucem, etsi tot fuisse tantorumque virorum studio elaboratus, etsi toties, id sollicitante S. Carolo, lectus, relectus et eliminatus : attamen oblatius Pio V sanctae memorie, ut tandem summa sua auctoritate firmaretur, noluit tamen summus Pontifex sic exire eum a se, quin adhuc ab aliis Doctoribus prius recenseretur, ut qua par erat maturitate et prudentia editus liber catholicus catholice recipetur; res commissa est Guilelmo Sirleto Cardinali, ut pote cuius doctrinam et pietatem optime noverat; quique nuper aduentibus allis Cardinalibus cum S. Carolo non paucis, summus Pontifex vix non erat renuntiatus: is tantus vir, Pii V jussu quosdam secum adhibuit Theologos delectos in ceteris, qui hujus libri non solum dogmata, sed et ipsi verba trutinarente rimarentur, quo diligentia singulari peracto (mirabilis sane Pastoris vere fidelis sollicitudo) illum approbavit summus Pontifex: atque Roma prodiens integer, purus et sincerus: quo cumque deportaretur, jussit eum typis mandari Manutianis, expurgari omnino mendis, et ita evulgari. Operæ pretium est ipsa Pontificis verba ponderare: hec autem sunt: « Motu proprio et pastorali officio cupientes, quam diligentissime possumus, dī vina adjuvante gratia, fungi, et ea quæ sacro Tridentino Concilio statuta et decreta fuerunt, exsequi, curavimus ut a delectis Theologis in

### AD CATECHISMUM, ART. II. XVII

« hac alma urbe componeretur Catechismus quo Christi fidèles de eis rebus quas eos nosse, profiteri et servare oportet, Parochorum suorum diligentia edocerentur; qui liber, cum Deo adjuvante, perfectus in lucem edendus sit, providendum duximus ut quam diligentissime et fidelissime imprimatur. Itaque in hac alma urbe cum potissimum imprimi voluimus dilecti filii Pauli Manutii diligentia, qui alias Ecclesiasticos libros hic imprimere solet. Quia vere si alibi imprimetur, eveneri posset ut non pari fide ac diligentia talis argumenti liber imprimetur, ob hanc causam, etc. Datum Romæ apud Sanctum Marcum septimo kalendas octob. anno primo. » Ex his manifestum est quanti fecerit hunc librum summus hic Pontifex, et quanto diligentia typis ille mandandus esset: sane tanti Pontificis exemplo, quoties denuo est imprimendus, curare deberent Episcopi, ne tot erratis quo quasi lineis opplexeretur.

Primus igitur (a) Pius quintus non tantum proprio motu suo hunc Catechismum approbavit, sed insuper commendavit eum toties, præcepitque usurpandum, quoties, vel de morum emendatione, vel de reformatione Ordinum agebatur (b): videatur Bulla 102, edita anno 1580, pro reformatione ordinis Cisterciensis: item Bulla 105, edita eodem anno, circa reductionem ad meliorum statum Congregationis Servorum Beatae Mariae; item Bulla 106, eodem quoque anno edita, circa Missalis emendationem.

Secundus a quo sacrum hoc opus fuit approbatum, Gregorius est XIII, Pii quinti successor, qui in Breve quodam anni 1583, declarat suo

---

(a) In Bullario, p. 505. — (b) In Bullario, p. 507.

jussu et approbatione, denuo editum esse Catechismum, utilemque adeo librum hunc existimat hic Pontifex, ut peculiari mandato in lingua Ilyricam traduci illum præceperit, ut patet ex Concilio Aquileiensi mox citando; atque insuper, ut testatur Possevinus, Catechismus erat illi veluti regula quædam qua jus ipsum Canonicum reformari posse putabat: unde Francisco Gratiano de Garzatoribus Jurisconsulto et Canonicoo Vicentino suast ut Juris Canonici epitomam ederet, in qua quidquid vel a summis Pontificibus, vel a Concilio Tridentino, vel a Catechismo Romano fuerat abrogatum, resecaret.

Tertius qui nostrum hunc Catechismum probavit, fuit sanctus Carolus Borromæus, qui non tantum in suis supra citatis Epistolis, sed et maxime in prima synodo quam Mediolani habuit anno Domini 1563, ubi Clericis omnibus, postquam decimum annum attigerint, præcipit ut Catechismus hunc assidue legant.

Quarto probatus est idem Catechismus in synodo Beneventana, anno 1567, ubi omnibus tuis parochis, cum verbi Dei predicatoribus injungitur ut ad suum munus exsplendere Catechismum, qui summi Pontificis jussu editus est, assidue præ manibus habeant, ut omnia secundum sanam et Ecclesiasticam doctrinam docere valeant.

Quinto probatus est in synodo Ravennata 1568, ibique titulo *De Seminario*, c. 4, librum hunc quem Concilii Tridentini Catechismum vocat, mirum in modum commendat, præcipitque ut qui degunt in seminariis, eum assidue præ manibus habeant.

Sexto iterum probatus est a S. Carolo in synodo Mediolanensi anno 1569, ibique præcipit parochis ut frequenter aliquam Catechismi Romani lectionem inter se convenientes tractent.

Septimo probatus est in synodo Salzburgensi in Germania, quæ habita est anno 1569, et sic decrevit const. 26: *Debet parochi iis quæ ad ipsorum spectant ministerium, quemadmodum et Episcopi cum Sacraenta per ipsos erunt populo administranda, illorum vim et usum pro suscipientium captu in vulgari nostra lingua Germanica explicare juxta ea quæ in Catechismo Romano sane utilissimo et his temporibus maxime necessario continentur.*

Octavo probatus est et tertio a S. Carolo in synodo Mediolan., anno 1577, in qua præcipitur ut parochi in Sacramentorum administratione Catechismi Romani locos et doctrinam adhibeant.

Nono probatus est in Genuensi synodo, anno 1574, tit. *De fidei elementis a parocco tradendis.*

Decimo probatus est et quarto a S. Carolo in synodo Mediolanensi, anno 1576, ubi inter libros quos Episcopos visitandi parochus exhibere debet, censetur Catechismus Romanus.

Undecimo probatus est et quinto ab eodem S. Carolo in synodo Mediolanensi, anno 1579, ubi de examinandi ratione præcipit ut inquiratur ab ordinatis: *An Catechismum Romanum habeant, ejusve doctrinam teneant.*

Duodecimo probatus est eodem anno a Clero totius Galliae in conventu Melodunensi, ubi multis in locis, sed maxime quatuor tit. *De Baptismo, de Eucharistia, de Penitentia, et de Ordine*, hic Catechismus, qui ibidem Tridentinus agnoscitur, ita præcipitur parochis ut ipsis ab hoc Catholicó conventu Clericis necessarius omnino judicetur, et ceteris omnibus anteponendus; sic autem ibi: *Instituere tenentur curati suoi greges ex præcepto Catechismi Trident., quam pure et simpliciter fieri poterit; et alibi. Adhibentes ea in re probe efficienda (nempe in exhortandis po-*

pulis) *Catechismi Romani locos et doctrinam Concilii Tridentini de singulis Sacramentis, ob id ab omnibus curatis accurate et studiose legendum*: præterea *Catechismi Tridentini in rebus hujusmodi ac piis operibus exercendis, regulas et præcepta, quam fieri poterit, accurate sequantur confessarii.*

Decimo tertio probatus est in synodo Rothomagensi, anno 1581, ubi sic: *Ut autem quilibet parochus officio suo defungi queat, Catechismum Romanum latine et gallice habeat, c. 40.*

Decimo quarto in synodo Burdegalensi, anno 1582, ubi sic: *Parochi singulis festis diebus aliquidex Catechismo Trident., quem latine et gallice auctoritate nostra editum penes se habere injungimus, populo proponant, etc.*

Decimo quinto in synodo Turonensi, anno 1583, tit. *De Professione et fidei tuendæ cura.*

Decimo sexto in synodo Rhemensi, 1583, tit. *De Curat.*

Decimo septimo in synodo provinciali Aquensi, in Gallia, anno 1583, tit. *De Parochis*, ubi sic: *Ut autem quilibet parochus suo officio defungi queat, Catechismum Romanum latine et gallice habeat, etc.*

Decimo octavo in synodo provinciali Tolosana, anno 1590, ubi sic: *Injungimus parochis ut continuo Catechismum Concilii Tridentini præ manibus habeant, tit. De Sacramentis.*

Decimo nono in Synodo Avenionensi, anno 1594, tit. *De Officio parochi: Catechismum Romanum sedulo præ manibus habeant, etc.*

Vigesimo in synodo Aquileiensi, anno 1586, de qua iam supra.

Omitto synodos diocesanas complures in quibus Catechismus hic noster approbat. Omitto et magni omnino nominis doctores, qui post libros canonicos nullum alium quam hunc Cate-

chismum tutius aut utilius legi posse asserunt. His ita positis, amice lector, quis feret frontem eorum qui hoc opus sacrum quasi puerile despiciens illud vel attingere deditigant, id propter tantum, quia *Catechismus* inscribitur? O cæcas hominum mentes!

Sed ut hominones illos omni rubore suffundam, audiant, quæso, S. Caroli Borromæi amissimum et sacri collegii decus Augustinum Valerium cardinalem et episcopum Veronensem, libro priori ad *Acolythes Veronenses*.

« Catechismus abhinc triennium est editus  
 « Pii V Pontificis Maximi jussu: quam ad juvan-  
 « dam rempublicam Christianam, et restitu-  
 « dam veterem Ecclesie disciplinam nobis divi-  
 « nitus videmus datum esse. Opus tam præclarum,  
 « si sententiarum gravitatem, et lumina etiam  
 « verborum spectemus ut nullum præclarius,  
 « multis abhinc seculis editum docti homines ju-  
 « dicent: sunt enim explicata omnia, quæ ad  
 « instituendas animas pertinent, tanto ordine,  
 « tanta perspicuitate, tantaque cum majestate:  
 « ut sancta mater Ecclesia, Spiritus sancto edocta,  
 « non homo quispiam vocem emittere, et omnes  
 « docere videatur. Vos qui aliquantum ætate  
 « processistis, legithe hunc Catechismum septies  
 « et plus quam septies, mirabiles enim fructus  
 « ex eo percipietis. Quod si in historiis scriptum  
 « est, Demosthenem, ut eloquentia laudem con-  
 « sequeretur, octies descripsisse Thucydidem,  
 « eaque ratione, omnes illius conciones plenas  
 « argumentis, memorie commendasse: quanto  
 « æquius est vos qui in disciplina Ecclesie ver-  
 « santes, omnia vestra studia referre debetis ad  
 « gloriam Dei, et ad salutem vestram et aliorum,  
 « egregium librum, dictante Spiritu sancto, Pa-  
 « trum qui in concilio Tridentino aderant, de-

« creto scriptum, et Christi vicarii auctoritate  
« editum, octies legisse diligenter, atque etiam  
« descriptissime. »

## ARTICULUS QUARTUS.

*Utilitates et usus Catechismi colliguntur*

Tot sunt utilitates Catechismi Tridentini quot possunt numerari necessitates Ecclesiae: si haeresis, ne expsuatur ab inferis et Catholicos interturbet, occcludenda est, a parochi saepius explicetur hic Catechismus; si haeresis ominoso et infausto quodam abortu jam exorta suffocanda sit, a parochiis saepius explicetur hic Catechismus; sincera sicubi est et illabata conservanda Religio, a parochiis saepius explicetur hic Catechismus; si Clerici adolescentes in seminariis aut privatum ad munera qualibet ecclesiastica subeunda sint apparandi, praetegatur illis saepius hic Catechismus: sacramenta sicut per est, pie et cum proximorum aedificatione si quis administrare voluerit, unus illi sit prae manibus hic Catechismus: deinde si qui sacerdotes confessionibus excipendi, habendis concionibus, dirigendis animabus accingere sese cupiant, hoc uno utantur Catechismo.

Sed etiam illo utendi non una tantum ratio est, ut ex prenotatis in proclivi est advertere, utiliores hic indigitabo.

Prima ratio utendi Catechismo injungitur, in omnibus fere synodis tum provincialibus, tum diocesanis quæ post Concilium Trident. habitæ sunt, ejus nimimirum assidua lectio, vel saltem ita frequens ut quidquid hic liber continet, memoriter complectatur.

Secunda ratio utendi sacro hoc opere, præcipi-

## AD CATECHISMUM, ART. IV. XXIII

tur a S. Carolo in 2 synodo Mediolanensi citata, ut scilicet convenientes ad se invicem parochi vicinie cuiuslibet aliquam hujus Catechismi lectionem frequentius inter se tractent, quod ex laudabili consuetudine singulis hebdomadis in usu erat in celebri presbyterio S. Nicolai de Cardinetio Parisiis.

Tertia ratio utendi Catechismo prescribitur ab eodem S. Carolo in 3 synodo Mediol., ubi præcipit, quoties parochi aliquod Sacramentum administrantia sunt, ut locos et doctrinam hujus libri adhibeant, et populo exponant; idem præcipitur in Synodo Rothomagensi supra citata.

Quarta ratio utendi hoc libro proponitur in Synodo Burdigal., citata etiam supra, dum præcipitur ut singulis diebus festis aliquid ex hoc Catechismo parochi populis proponant, de iis rebus, quas nosse Christianorum omnium interest.

Quinta ratio prescribitur in Synodo Cremonesi, anno 1605, p. 9, his verbis: Divino afflato Spiritu sancti, illi Patres qui in Concilio Trident. præfuerere, mandarunt, ut quamprimum Romanus Catechismus conscriberetur, ex quo velut ex fecundissimis sanctæ matris umeribus Clerici omnes ecclesiasticae doctrinae suavissimum lac exsurgere valerent. Ea igitur consuetudo, que sancte in nostra seminaria introducta est, Clericis omnibus Romanum Catechismum explicandi, omnino inde a Ludimagistris Clericis sub pena suspensionis quotidie, vel saltem ter in hebdomada servetur.

Sexta ratio præscribitur in ipsa præfatione Catechismi ab iisdem Patribus, quorum obtemporendo mandatis, praxis, quæ sequitur, est instituta.

clerici presbiteri obediunt et servant. Et in  
liberis sacerdotiis se habet voluntatis iuris. In  
magistris enim incepit iudicium suum  
et hunc iudicium non amittere maneat  
ut iudiciorum arbitrii arbitrio inducatur  
in abusus. Et omnibus iudiciorum et iuris au-  
torum iudiciorum et iuris arbitrii arbitrio indu-  
catur. Iustitia omnis est in iure. Et iure  
omnis iudiciorum arbitrii arbitrio inducatur.  
iudiciorum arbitrii arbitrio inducatur. iudiciorum  
arbitrii arbitrio inducatur. iudiciorum arbitrii  
arbitrio inducatur. iudiciorum arbitrii arbitrio  
inducatur. iudiciorum arbitrii arbitrio inducatur.

## PRAXIS CATECHISMII,

SEU CATECHISMUS IN SINGULAS ANNI DOMINICAS  
DISTRIBUTUS, ET EVANGELII ACCOMMODATUS.

### DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

*Erunt signa in sole et luna, etc. Luc. 21.* Hoc  
Evangelium ad argumentum de iudicio generali  
traducendum est. Quare hic recurrat parochus  
ad articulum Symboli: *Inde venturus est iudi-  
care vivos et mortuos*, p. 86 et seqq. prout fa-  
ciendum praecipitur, p. 20, vel secundum alia-  
rum Ecclesiarum ritum.

*Ecce Rex tuus venit tibi, etc. Matth. 21.* Hic op-  
portune tractabit parochus ea quae de Incarna-  
tione et causis adventus Christi Domini nostri  
habentur, articulo secundo et tertio Symboli  
apostolici, p. 39 et 42.

*Invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea,  
solvite, etc. D. Athanasius in sermone de verbis  
huius Evangelii ostendit ex hoc loco Apostolis  
et eorum successoribus factam esse potestatem  
solvendi eos qui, instar asinorum, peccatorum  
pondere pressi, ad eos configerent. Quare hic  
populo exponet parochus quae habentur de con-  
fessione, p. 329 et seqq., et de absolutione,  
p. 315, et de potestate remittendi peccata in  
Ecclesia, p. 123 et seqq.*

## DOMINICA II.

*Cum audisset Joannes in vinculis, etc. Tu es qui venturus es, etc. Matth. 11.* Ista Joannis interrogatio tam sedula ostendit quanto cum studio curare debeamus, ut de rebus fidei, et nos, et ii qui nobis subsunt, rite et a Catholicis docto-ribus instruantur. Vide qua huic argumento inserunt initio Catechismi, usque ad primum Symboli articulum.

*In vinculis.* Fides usque ad vincula, imo ad nemus usque, cum opus est, et a judice urgemur, profienda est: nec est satis eam pectore in-clusam habere, quantumvis rectam et sinceram, ut ostenditur, p. 14 et seqq., vel *Erunt signa in sole et luna, etc.*, ut in Dominica prece- denti.

## DOMINICA III.

*Confessus est, et non negavit. Joan. 1.* Ex hoc loco simpliciter verum fateri docemur, nec intermiscere jusjurandum, ut nobis fides adhi- rare prohibitum, in secundo pracepto, p. 435 et seqq.

*Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, etc.* Agendum hic de ministris baptismi, de quo, 192. Et quomodo sese habeant in dispensatione sacramentorum Christus Dominus et minister, quantum ad effectum sacramenti, p. 206 et seqq.

*Cujus ego non sum dignus, etc.* Hic monere paro-chus populum sibi creditum debet, ut sese pro-

festis natalitiis, ad sacram synaxim prepararet, et agere de condigna tanti hospitis (cujus corrigiam calceamenti solvere indignum se Joannes Baptista censem) susceptione. Vide de préparatione ad Eucharistiam, p. 285 et seqq., vel *Cum audisset Joannes in vinculis*, ut in Domini-na precedenti.

## DOMINICA IV.

*Anno decimo tertio imperii Tiberii Cæsaris, etc. Luc. 5.* Cur hic principum mundi fiat mentio, eadem ratio afferri potest, que afferitur in ar-ticulo quarto symboli de eodem Pontio Pilato.

*Factum est verbum Domini super Joannem, etc.* Quoniam Joannes non nisi a Deo legitime voca-tus officium verbi Dei prædicandi exercuit: ideo hic de legitima vocatione ministrorum Ecclesiæ parochus disseret, ut habetur de sacram. ordi-nis, p. 375 et seqq., legitimosque eos ministros non esse dicat, qui missi non sunt, ut traditur in præfatione.

*In deserto.* Hic de probitate et morum integritate ministrorum verbi (qui sunt sacerdotes) agatur ex eodem loco, 375, et de castitate quæ eis quando hunc subdiaconi, indicitur, p. 589, 590.

*Prædicans baptismum penitentia.* Quomodo adulti qui baptismum susciperent debent, affecti esse deheant, et præteritæ eos vitæ penitire, tradi-tur, p. 205.

*Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.* Hic de préparatione ad Eucharistiam, de qua in superiori Dominica, et de necessaria mandatorum Dei observantia, de qua, p. 425 et

## XXVIII CATECHISMUS CONCILII TRIDENTINI.

seqq., vel *Et confessus est, et non negavit*, ut  
in Dominica praecedenti.

### IN DIE NATIVITATIS DOMINI.

*Peperit primogenitum filium suum*, etc. *Luc.* 2.  
Explicitur articulus Symboli *Natus ex Maria Virgine*, qui est hujus loci maxime proprius,  
de quo, p. 43 et seqq. *codem die ad missam maiorem*.

*In principio erat Verbum, et Verbum era*, etc.  
*Joan.* 1. Quoniam hic locus dum agitur de aeterna Christi Domini generatione adducitur, p. 39, 40. Hinc parochus petet hujus loci expositionem.

*Et Verbum caro factum est*. Hic exponatur mysterium Incarnationis prout habetur, p. 45 et seqq.

*Gloriam quasi unigeniti a Patre*. Quomodo hic unigenitus sit etiam frater noster, vide p. 616.

### DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

*Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, etc.  
*Luc.* 2. Ex hac Simeonis predictione ansam sumere poterit parochus explicandi, cur Deus fideles jam baptizatos, quos filios habet carissimos, non eximat ab incommodis vita hujus, qua de re agitur, p. 211. Et quo configendum tunc sit, de quo, p. 577, 578, 579 et seqq.

*Non recedebat a templo jejuniis et orationibus*, etc.  
De privata et publica oratione habes, p. 601.  
Quomodo ad orationem jejunium et elemosyna jungenda sint, p. 605. Et quomodo ista

### INDEX.

XXIX

tria conducant ad satisfactionem peccatorum,  
p. 606, 557 et seqq.

### IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

*Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcidetur puer*, etc. *Luc.* 2. Quoniam circumcisione successit baptismus, hic in genere dici poterit de vi et efficiencia sacramentorum novae legis, supra antiquæ legis sacramenta, ut habetur, p. 176.

*Vocabatum est nomen ejus Jesus*, etc. Quam convenienter hoc nomen inditum fuerit Christo Domino, et quare, vide p. 51.

Observandum hic etiam est pueris nunc in baptismo, et olim in circumcisione nomen esse imponendum: cuius rei quanam sit ratio, et quale nomen pueri imponi debeat, habes p. 225. Denique cum impositio nominis sit una ex ceremoniis in baptismo usitatis, hic de bapti-  
smi ceremoniis et ritibus apta concio haberi poterit, p. 220 et seqq.

### IN DIE EPIPHANIAE.

*Vidimus stellam eius in Oriente*, etc. *Matth.* 2.  
Quoniam non inepta per hanc stellam philosophica de Deo scientia potest intelligi: sicut per responsum sacerdotum fidei lumen, non male hic adaptari poterunt quæ de differentia sapientiæ christianæ a philosophica notitia habentur, p. 46.

*El procedentes adoraverunt eum*, etc. *Matth.* 2. Hic de adoratione Dei, quæ latra dicitur, et simul

de veneratione sanctorum, quæ *dulia* nominatur. Vide in expositione Decalogi, p. 423 et seqq., usque ad secundum præceptum. Hic agi etiam potest de Eucharistia veneratione et adoratione. Nam si eundem Christum, quem Magi adoraverunt, presentem in Eucharistia agnoscimus et confitemur, ut disertis verbis probatur, p. 209 et seqq., si pii esse volumus, cur non æque ac Magi eum adorabimus? Vide p. 248 et seqq.

## DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIE.

*Secundum consuetudinem diei festi, Luc. 3.* De observatione dierum festorum, lege p. 472, et seqq.

*Et erat subditus illis,* etc. De officio liberorum erga parentes, vide p. 488, 489 et seqq.

## DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

*Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilæa,* etc. *Joan. 2.* Desacramento matrimonii, vide p. 402 et seqq.

*Hoc fecit Jesus initium signorum suorum.* Hæc conversio aquæ in vinum valet plurimum ad confirmandos rudiiores in fide transsubstantiationis, quæ sit in augustissimo altaris sacramento: de qua vide p. 275 et seqq.

## DOMINICA III.

*Ecce leprosus veniens adorabat eum.* *Matth. 8.* Per lepram hæresim significari docent Patres. Qui

vero sint censendi hæretici, et qui a castris Ecclesiæ, ut olim leprosi, ejiciendi, habetur p. 104 et seqq.

*Vade, ostende te sacerdoti.* De honore sacerdotibus Domini et Ecclesiæ præfectis exhibendo, vide p. 498.

*Vade, ostende te sacerdoli,* etc. Longe excellentiorem virtutem nostris sacerdotibus tributam docet Chrysostomus, lib. 5 de Sacerd., quam Mosaicus: quod illi oblatis sibi leprosos non mundarent, sed mundatos tantum esse declararent: nostri vero hominem peccati lepra maculatum, dum absolutionis beneficium rite præparato impendunt, vere emundant, et perfectæ sanitati restituent. Hic de potestate clavium sacerdotibus concessa, ut habetur p. 125 et seqq.

## DOMINICA IV.

*Ascendente Jesu in naviculam.* *Matth. 8.* Inter multa qua Ecclesiam repræsentant, est navicula illa seu arca Noe, de qua p. 417. Hic ergo de Ecclesia catholica, et notis quibus internoscitur, parochus agere poterit, prout habetur p. 410 et seqq.

*Domine, salva nos, perimus.* Quoniam nullum est tempus in quo ita hominum vita, quam in propinquum animæ exitu, periclitetur; ideo parochus ex hoc loco hortari poterit suos subditos ut cum mortis dies instabit, ad Deum maxime recurrent, et extremæ unctionis sacramentum accipiant, de quo p. 562 et seqq.

*Qualis est hic, quia venti et mare obedirent ei?* Quomodo creaturæ omnes eum, quem a Deo ab

XXXII CATECHISMUS CONCILII TRIDENTINI.

initio accepterunt, cursum teneant homine  
deempto, vide p. 640 et 641.

DOMINICA V.

*Inimicus homo superseminavit zizania.* Matth. 13.  
In Ecclesia duo sunt hominum genera, boni,  
qui tritici nomine designantur; improbi,  
mine zizaniorum; vide p. 108, 109, 110. Vel per  
zizania intelliguntur oedia, atque rixa, quas  
pater dissensionis diabolus seminar conatur  
in agros filiorum pacis: cuius morbi remedium  
habes p. 688 et seqq.

*Inimicus homo hoc fecit.* De odio dæmonum in  
nos et ad tentandum audacia et perversitate,  
vide p. 688 et seqq.: et ut omnis mali culpe  
auctor, mali vero paenæ sit exactor, vide p. 705  
et 706.

DOMINICA VI.

*Simile est regnum colorum grano sinapis.* Matth.  
13. Quoniam juxta doctores per granum sina-  
pis fides intelligitur: hic tractanda sunt, quæ  
de ejus necessitate habentur, p. 16, et quomodo  
scrutanda non sint ea que fide credenda pro-  
ponuntur, p. 21, 22 et 25, et ejus excellentia  
et quantum differat christiana deo sapientia  
et philosophica divinarum rerum notitia, p. 16.  
*Cum autem creverit.* Fidem augeri posse traditur,  
p. 599.

*Iterum simile est regnum colorum fermento, quod*  
*acceptum mulier.* Hanc mulierem Ecclesiam in-  
terpretantur, quæ in doctrina fidei aut morum  
(per fermentum designata) errare non posse  
traditur, p. 117.

INDEX.

XXXIII

*Donec fermentatum est totum.* Hic de communione  
sanctorum, et meritorum participatione expli-  
cari possunt quæ sunt, p. 119 et seqq.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

*Simile est regnum colorum homini patris familias,*  
Matth. 20. Hic paterfamilias est Deus, qui cur  
pater dicatur, habes p. 20, 21 et 607.

*Recepérunt ipsi singulos denarios.* Denarii nomine  
celestis beatitudi designatur, quam hic pater-  
familias alacriter et sincere in vinea sua, id  
est, in cultura mandatorum divinorum labo-  
rantibus præstat. De hoc vite æternæ denario  
lege quæ diffuse traduntur, p. 145 et seqq. et  
451, 627 et seqq. Hujus vero beatitudinis con-  
sequendæ certam viam, ac rationem habes  
p. 629 et seqq. Item, exhortatio ab colendum  
hanc vineam mandatorum illustris habetur,  
p. 425, 426 et seqq.

*Singulos denarios.* In celo tamen varietas est  
mercedis et gloriæ, pro ratione laboris et af-  
fectus quo quis operatur, p. 145 et seqq.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

*Exiit qui seminat seminare semen suum, etc.*  
Luc. 8. Semen hoc in terram sparsum, est ver-  
bum dei exponente domino, de quo vide p. 664,  
665, et quomodo sit audiendum, vide præfat.

*Venit diabolus, etc.* De dæmonis conatu et impu-  
gnatione habes p. 692 et seq.

*Et a sollicitudinibus et divitiis, etc.* Quantum di-  
vitiae et e frenes rerum temporalium cupidita-